



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXVIII. Propter naturalem frigiditatem, vel alia maleficia, legitime coniuncti non sunt separandi. Item, qui non est aptus debitum reddere vxori, ad matrimonium contrahendum aptus minime reputatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

perstringatis. Si qui tamen apparuerint, qui postquam ab eo recepta fuerit, matrimonium eorum velint, & legitime possint impetere: partibus ante vos conuocatis, causam audiatis, & eam sine canonico, appellatione remota, terminetis, illa maturitate, & circumspeditione adhibita, quam in tanto negotio conuenit adhiberi. Quod si ambo, &c.

CAP. XXVII.

Idem in eodem, abbati sancti Benedicti de Vebia.

Suscepimus literas tuas, & cognouimus ex earum tenore, quod cum lator presentium in custodia cuiusdam domus cum altero fratre maneret, ingredienti de nocte quidam latrones ad eos, turpiter ipsos in personis affligere, & vestimentis propriis denudare presumpserunt. In quos isti resumtis viribus insurgentes, ligauerunt illos, & detinere vsque ad notitiam capituli voluerunt. Cumque iste rem ad tuam audientiam perlaturus, eos ligatos in fratre sui custodia dimisisset, & fures se soluere niterentur, frater illos, ne ipse ab illis interimeretur, occidit. Vnde quoniam expediebat potius post tunicam relinquere etiam pallium, Matth. 5. & rerum sustinere iacturam, quam pro conseruandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere: abstineat iste humiliter ab altaris ministerio, & peccatum suum, quibus ad arbitrium tuum modis poterit, vterque studeat expiare. Constat enim, eos contra regularem mansuetudinem & ecclesiasticam disciplinam ex vtriusque ope interemptos.

CAP. XXVIII. *Idem in eodem, Ambianensi episcopo.*

Quod sedem apostolicam consulis super his, quae dubia tibi existunt, gratum gerimus & acceptum: & tua exinde fraternitas non parum commendanda videtur. Ex tua siquidem parte nobis est intimatum, quod quaedam mulier tui episcopatus cuidam viro nupsit, ignorans quod propter vtriusque inguinis rupturam genitalia eius essent abscissa, nec ab eo cognita fuisset. Qui utique modo factus leprosus, se pariter & sua domui dedit infirmorum. Mulier vero ad domum paternam reuersa, sicut iuuenis, alii viro desiderat nubere, & coniugali foedere coniungi. Verum licet ecclesia Romana non consueuerit propter naturalem

Propter frigiditatem an matrimonium dirimendum.

Concil. Tom. 27.

Aaaaa ij

Propter
consuetudi-
nem rigori-
tem tempe-
rari.

frigiditatem aut propter alia maleficia legitime coniunctos diuidere, si tamen consuetudo Gallicanæ ecclesiæ habet, vt huiusmodi matrimonia dissoluantur, nos patienter tolerabimus, si secundum illam consuetudinem eidem mulieri, cui voluerit, in Domino concesseris nubendi facultatem. Sicut enim puer qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio: sic quoque qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur.

ANNO
CHRISTI
1179.

CAP. XXIX. *Idem eidem in eadem epistola.*

Sane de canonico qui in ecclesia Aroacensi professionem fecerat, & ab ea fugerat, ab abbate in monachum recepto; id tuæ fraternitati significamus, quod si locus vbi nunc permanet, maioris est religionis, quam ecclesia Aroacensis, ipsum in eodem loco cum pura conscientia remanere permittas, alioquin eum ad priorem ecclesiam redire compellas. Porro de comite * Pontitini, qui vxorem suam, filiam Bernardi de S. * Valerico, absque iudicio ecclesiæ dimisit, propterea quia eam cognatam fuisse defunctæ vxoris suæ proponit: hoc tua prudentia cognoscat, quod si etiam parentela esset publica & notoria, absque iudicio ecclesiæ ab ea non potuit separari: quare eum ad eam recipiendam districte compellas: & si eam recipere noluerit, eum & superinductam vinculo excommunicationis adstringas. Si qui autem apparuerint, qui matrimonium ipsum velint & possint impetere, causam audias, & eam sine debito decidas.

* Pontini

Locus ob-
secutus.

Præterea de Hugone de * Calorie, qui filiam * Alelmi cognatam suam duxit in vxorem, & hoc publicum & manifestum est, nec apparet aliquis qui matrimonium velit impetere: id tibi respondemus, quod non apparentibus accusatoribus, & parentela publica & manifesta existente, quod credibile non est, vbi essent consobrini in primo vel secundo gradu, ecclesiæ auctoritate interdictum est matrimonium, adhibita illa grauitate dissoluere quod illicitè noscitur contractum. Ad hæc quoniam donationem decimæ, quam abbas S. Saluii de * Musterol, & prædecessor eius cuidam laico iure hereditario concesserunt tenendam, cum sanctuarium Dei iure possideri non debeat, in